

hæc legitima missio, ubi alteri quasi per manus potestatem, quam a prædecessoribus ministris accepit, successoribus tradit? Non possunt hoc ostendere nostri hæretici. Vel enim immediate a Christo missi sunt, vel mediate, vel nullo modo. Non primo, ostendant enim id miraculis et similibus testimoniis, quemadmodum ostenderunt apostoli immediate a Christo missi; alioqui nemo tenetur illis credere. Deinde, eorum sectæ sibi contrariæ sunt inter se, ergo si unus eorum missus est, non alius: quia Deus sibi non contrarius. Non secundo, a quo enim Lutherus et Calvinus legitimam potestatem habentes ad munus prædicationis et jurisdictionis missus et constitutus est? Cujus sedem occupavit Lutherus? Quare rectissime de eo dici potest, quod S. Cyprianus, ep. VI. I. de Novatiano hæresiarcha scribit: «Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præside, nemini succedens, et a seipso incipiens alienus sit et profanus?»

Tertio, quia ordinatam et continuam habet summorum pontificum successionem, quam inter alias Ecclesiæ notas maximi fecerunt Tertullianus et ss. patres, Irenæus, Optatus, Milevitanus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, quorum tempore tamen, nempe usque ad annum 460. pauci adhuc sederant scilicet non ultra 40. Quid hoc tempore dicerent, quomodo triumpharent ob tam longam pontificum seriem? Quomodo hæreticis ora obstruerent si per annos 1600. numerare potuissent, qui sine interruptione sedem Romanam tenuissent? Objiciebant illi hæretici ut cathedræ suæ rationem redderent, successionem episcoporum numerarent, ad quod illi obmutescabant. Multo magis nostri hæretici: qui idcirco hanc Ecclesiæ notam rejiciunt, quod in sua non inveniunt. At non frustra ss. patres tam sedulo Romanorum pontificum indicem tenebant; videbant enim sedem illam singulari præminentie privilegio dotatam, ut quæ sola semper inconcussa fuit: reliquæ omnes ubi a Romana defecerunt, prorsus desierunt. Ita Hierosolyma, in qua Jacobus; Achaia ubi Andreas; Asia ubi Joannes; India ubi Thomas; Persia ubi Judas; Æthiopia ubi Matthæus; Phrygia ubi Philippus; Græcia ubi Paulus fuerat. Sola fuit et est Romana Ecclesia, ad quam, sicut scribit S. Cyprianus, l. I. epist. III. *Nunquam accessum habere potuit perfidia.* Unde merito gloriari possumus in eo, dum ab hæreticis papistæ vocamur; quæ enim Ecclesia invicta hætenus præter papisticam?

Quibus positis, veniamus nunc cum hæreticis ad Dei judicium et articulum mortis, in quo,

quæso te, da gloriam Deo, quam eligere religionem? Annon malles habuisse illam religionem, quæ allicit et ducit ad virtutem et bona opera, quæ nemo non sibi optat in eo articulo? Atqui catholica est, quæ hæc urget: reliquæ vel ea damnant ut Lutherus et Calvinus, vel certe non curant. Secundo, annon malles in illa Ecclesia esse, quæ sola habet et adhibet morituris, procurat et suadet salutaria remedia, contritionem, confessionem, absolutionem, communionem, restitutionem, indulgentias, extremam unctionem, etc. per quæ participantur merita Christi? Quomodo enim tibi persuadeas te per Christum salvandum, qui medis ab eo ordinatis non uteris? Tertio, annon optares post mortem amicorum preces et suffragia pro te fieri? Siquidem nescis, quid tibi post mortem venturum sit. Atqui hæc talia sola dat religio catholica: quæ si forte parum proficua putas, saltem nequis existimare noxia. Hæretici mortuos deserunt, sicut suspensos in patibulo relinquere solemus, nullis exequiarum subsidiis eos adjuvando.

Deinde, cum ad judicium veneris, annon facilius et securius causam tuam defendes, si dicas: Ideo fidem catholicam acceptavi, quia vidi in illa maximam unitatem doctrinæ et unanimum consensum doctorum, necnon constantiam et uniformitatem perpetuam, et quod validissimum est, nolui credere meo capiti vel Scripturas pro arbitrio meo exponere, sed malui sequi sensum et intellectum superiorum, supremæ sedis et ss. patrum. Secundo, quia vidi hanc Ecclesiam sanctam esse, tum quia ad sanctitatem et virtutem ducit, docet magistratui obedientiam, charitatem proximo, pietatem et cultum Deo exhibendum: tum quia vitiiis et vitiosis varia imponit fræna eaque facessere jubet: tum quia in ea innumeri erant viri sancti, toto orbe laudati, episcopi, religiosi, qui Deo arete servierunt, et sine dubio omnes non errarunt, sed rem melius quam ego intellexerunt! Tertio, quia vidi eam esse catholicam, tum quia sola talis ubique vocabatur, sicut in symbolo apostolico: tum quia sola ipsa in omnibus terræ oris reperiebatur: tum quia ad eam solam gentium conversio facta legebatur in antiquis libris. Quarto, quia vidi esse apostolicam, tum quia antiquissima, ad nos a Christo usque continuo derivata et antiquior omnibus hæresibus: tum quia in ea ordinata ministrorum missio et ordinatio: tum quia non interrupta pontificum successio. Quæ omnia adeo fortia erant religionis meæ argumenta, ut nihil prorsus invenire potuerim, in quosuspecta esset hæc religio. Quis quæso hic sibi metuat?

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. Miser et calamitosus status hominum sub finem mundi. — II. Magna Dei bonitas in homines extremi illius temporis. — III. Cautela adhibenda in discernendis veris et falsis prophetis. — IV. Quid agendum cum novi exurgunt prophetae et novatores. — V. Tempore afflictionis fugiendum ad Christi vulnera. — VI. Secundus Christi adventus multum differt a primo.

THEMA.

Ab arbore autem fici discite parabolam. Matth. XXIV.

Hodiernum evangelium auditores, de mundi consummatione et judicio extremo claudit annum ecclesiasticum, quemadmodum judicium extremum claudit mundi cursum; quem depingere mihi videtur Christus sub parabola fici in hodierno evangelio. Etenim ficus primo teneros acquirit ramos cum ver appropinquat; deinde producit germina, tum emittit folia et grossos; postea protrudit et maturat fructus; quibus deceptis paulatim perdit virorem et decorem suum usque ab ingruentem hiemem, quæ omni eam virore et quasi ipsa vita spoliatur, sicque nudatam terra sepelit usque ad ver sequens, quo denuo resurgit ac revirescit. Ita fere se habet decursus anni ecclesiastici, quem Ecclesia describit ac distribuit juxta progressum vitæ Christi. Etenim ab adventu incipit recolere mysteria, quæ nativitate Christi præcesserunt, ut prophetias de Christo, ardentissima patrum vota, Christi conceptionem, incolatum materni uteri; et tum quodammodo ficus teneros gignere ramos cœpit: a nativitate tempus infantie et pueritiae Christi, usque ad purificationem; et tum ficus germinavit: a purificatione usque ad dominicam passionis recolit Ecclesia vitam Christi, miracula et prædicationem; et tum ficus protulit grossos suos cum decore foliorum: a dominica passionis usque ad pascha, passionem, mortem et sepulturam; ac tum æstu solis ficus maturaverunt: a paschate decurrit quadraginta dies usque ad ascensionem; quia totidem diebus Christus redivivus in terris moratus est; quibus exactis duleissimum laborum suorum fructum in caelo cœpit comedere; inde dies decem usque ad pentecosten, quia totidem diebus discipuli expectarunt missionem Spiritus s. in qua et ipsi fructum illius ficus degustare in terris cœperunt: inde usque ad adventum describit reliquum tempus gratiæ usque ad novissimum diem, et tum ficus nostra paulatim perdit virorem suum usque ad initium hiemis, quo emoriatur quodam-

modo et in terram conditur. Hunc igitur decursum vitæ Christi Domini et anni ecclesiastici claudit hodie Ecclesia et statuit nobis ob oculos vitæ nostræ scenam ultimam, finem mundi et judicium, quod finem et mercedem dabit operibus nostris. Et quia hodiernum evangelium salutaria nobis proponit consilia et documenta, quibus ad beatum illum finem parare possimus, ea nunc disquiremus.

I. Discimus miserum et calamitosum statum illorum hominum, qui ad finem mundi victuri sunt. Erunt enim debiles in fide, frigidi in charitate et virtutibus, fortes ac ferventes in patrandis vitiiis; erunt improbi quam plurimi; justi vero perpauci. Colligimus id ex hodierno evangelio, ubi audimus in ultima persecutione plerosque a Deo defecturos: et si diutius ea duraret, neminem omnino salvandum, adeoque neminem fere justum reperiendum. Erit ergo tempus illud quasi hiemale, cui succedet ver resurrectionis, uti ex parabola ficus ostendit Dominus, in illo: *Abundabit iniquitas et refrigescet charitas multorum*, ut immediate præmisit huic evangelio. Quo longius a sole distant nationes, eo frigidiores sunt, uti quæ ad polum arcticum sitæ: et quo longius recedis a foco, eo magis refrigescis: ita quo posteriora sunt sæcula, quo distantiora a tempore et memoria Christi, eo frigidiora et perversiora. Idem testatur apostolus, II. Tim. III. *Hoc autem scio, inquit, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, etc.* Et quia hæc in nostra etiam sæcula magna ex parte quadrant, vel hinc colligere possumus, ab ultimo illo et perversissimo sæculo non longe nos distare: præsertim quia nunc hæreses incrementum sumunt et in dies magis veram religionem premunt. Vidit hoc etiam suo tempore S. Greg. M. vaticinans de nostris temporibus, nimum profecto vere in ep. ad Maximum Salonitanum episcopum; ubi deploratis Italiæ calamitatibus, subdit: «Sed nolite de talibus omnimode contristari; quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione sui temporis, felices nos existiment dies habuisse.» Nimirum verum est vulgare illud: *Raro meliora sequuntur.* Videre istud erat in regibus Hebræorum plerisque. Salomonem durum exactorem secutus est Roboam nequior filius, qui dicebat subditis: *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Huic in imperio decem tribuum successit Jeroboam, Roboamo adhuc deterior, qui: *Peccare fecit Israel et invexit idololatriam*, III. Reg. XII.

Rarusum regi Zambri successit Amri, qui: *Operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum. Dereliquit hic successorem Achab, patre adhuc deteriorem, qui ipse, ut ait Scriptura, III. Reg. XVI. Fecit malum in conspectu Domini, super omnes, qui fuerunt ante eum, qui etiam duxit uxorem Jezabel gentilem et servivit Baal. Observarunt ipsi etiam gentiles, quod sequens docebit historia: « Venit aliquando censor Romanus Nolam, Campaniæ urbem, regionem illam pro amore visitaturus. Sed quia ætas erat regioque æstuosissima, nemo tunc in publicum prodibat. Hospiti ergo apud quem diverterat: Amice, inquit, ego sum censor a senatu Romano ad regionem hanc visitandam missus, itaque festinus abito, omnesque e populo bonos huc ad me vocato: sunt enim nonnulla sacri senatus nomine illis dicenda. Hospes ad sepulcra abit mortuorum, qui illic erant humati, et clara voce: Heus, inquit, boni viri venite mecum, vocat enim vos censor Romanus. Censor neminem venire videns, iterum jubet hospitem illos accersere. Is ad sepulcra denuo reversus, mortuis ait: Adeste boni viri: vocat enim vos censor Romanorum. In hunc modum et iisdem verbis tertium quoque fuere vocati. Cum autem iterum ac tertium accersiti non venirent, pertæsus ac indignatus censor, inquit, hospiti: Quandoquidem jussu meo boni viri nolunt venire, illuc abi, atque mecum progressus mihi illos monstra. Gravem enim meretur animadversionem, quicunque senatus dicto non est audiens. Hospes pauperculus censorem manu prehensum ad sepulcra ducit, ad quæ dudum abierat, et mortuos clara voce compellans: Ecce, inquit, boni viri, adest censor Romanus vos allocuturus. Censor indignatus, et excandescens: Quid agis, inquit, hospes? Ego te vivos vocatum misi, tu vero mortuos vocas? Cui hospes: Si prudens es censor Romane, haud mirum tibi videbitur quod feci: omnes quippe boni viri hujus regionis jam olim sunt mortui, et in his monumentis sepulti: justo quippe Dei judicio factum est, ut intra terræ sinum quiescant illi, quorum commercio non digna erat, ut frueretur resp. » Refert Tympius, in spec. mag. sig. L. Non multum aberravit, qui hoc idem nostris temporibus dixerit, multo minus, qui secuturis et præsertim extremis: *Filius enim hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* ait ipse, Luc. XVIII. q. d. Christianum bonum et perfectum?*

II. Discimus magnam Dei bonitatem, quam extremis illis temporibus exhibebit Christianis. Magna quidem erit tunc tribulatio, cum solvetur Sathanas: sed magna etiam erunt Dei auxilia, quibus

adjuvabit Christianos. Primum est prædictio et prævia antichristi descriptio, ita ut seductorem illum facile possint agnoscere ex pluribus indiciis, revelatis a Joanne, in Apoc. a S. Paulo et Daniele. Ecce hic est, inquit, antichristus ille, qui fidem nostram cupit evertere. Atque ita in fide magis confirmabuntur electi. Secundum, Eliæ et Henochi adventus, prædicatio, testimonium, martyrium et resurrectio. Quis tantorum testium doctrina et prodigiis non moveri debeat ad fidei constantiam? Tertium, persecutionis brevitas: *Propter electos enim breviabuntur dies illi.* Quartum, subsidium angelorum, Michaelis imprimis, qui ex alto in tartarum deturbabit antichristum. Quibus addenda interna alia et privata auxilia. Solet enim Deus una cum tribulatione immittere etiam levamina et arma spiritualia eoque fortiora quo gravior est tribulatio. Quare bene Ezechias rex, Isa. XXXVIII. vitam suam partim ærumnis, partim divinis favoribus variantem telæ assimilavit: *Præcisa est, inquit, velut a texente vita mea, quasi tela scilicet. Telæ autem fila non omnia eodem tendunt; sed alia recta, alia transversa sunt: ita vita nostra partim adversitatibus fatigatur, partim beneficii et solatii recreatur: unde S. Chrys. hom. in. c. II. Matth. Deus, inquit, tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contextit. Quemadmodum enim Jacob dilectissimum filium suum Joseph polymita, seu multorum colorum veste induit, Genes. XXXVII. ita Deus electos et dilectos suos varia et multicolori vita, ex tristibus et lætis, ex dulcibus et amaris, ex prosperis et adversis contexta solet exornare: quomodo etiam vestis illa Josephi variegata una ex parte referebat patris amorem ac benevolentiam; alia ex parte fratrum odium et invidiam: et quæ prius decora et pulchra aspectu fuit, postea sanguine tincta, tristis et terribilis.*

III. Discimus cautelam in discernendis veris ac falsis prophetis eorumque miraculis a nobis adhibendam, quando interdum a talibus non plebei tantum, sed etiam clerici et litterati decepti esse leguntur. Exemplum unum hic dabimus ex Greg. Tur. I. X. c. XXV. apud Bar. an. 595. « Quidam, inquit, ex Biturico dum saltus silvarum ingressus ligna cæderet ad explendam operis cujusdam necessitatem, muscarum eum circumscedit examen: qua de causa per biennium amens est habitus; unde intelligi datur diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis urbibus propinquis, Arelatensem provinciam adiit, ibique indutus pelibus quasi religiosus orabat, ad quem illudendum pars adversa divinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc ut in majori proficeret scelere, commotus a loco,

provinciam memoratam deserens, Gabalitanae regionis terminum est ingressus, proferens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, assumpta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum argentumque et vestimenta ii, qui ad eum conveniebant; quod ille, quo facilius seduceret, pauperibus erogabat, prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memorata, et surgens, se iterum a circumstantibus adorari jubebat. Prædicebat enim futura et quibusdam morbos, quibusdam damna provenire denuntiabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus et præstigiis; multitudo immensa populi, et non solum rusticiores, verum etiam sacerdotes ecclesiastici. Sequebantur autem eum amplius quam tria millia populi. Interea cepit quosdam spoliare ac prædari, quos in itinere reperisset: spolia tamen non habentibus largiebatur; episcopis ac civibus minas mortis intentabat eo quod ab iis adorari despiceretur. Ingressus autem Vellavæ (seu Belluaci) urbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant, accedit: et ad basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti episcopo illum inferret, mittens etiam ante se nuntios, homines nudo corpore, saltantes atque ludentes, qui adventum ejus annuntiarent. Quod stupens episcopus, direxit ad eos viros strenuos inquirentes, quid sibi vellent ista quæ gererent. Unus autem ex iis, qui erat senior, cum se inclinasset, quasi osculaturus genua ejus, ac discussurus viam illius, jussit pseudopropheta eum apprehensum spoliari. Nec mora, ille evaginato gladio, eum in frusta concidit: ceciditque Christus ille, qui magis antichristus nominari debet, et mortuus est; dispersique sunt omnes qui cum eo erant. Maria autem illa supplicio data, omnia phantasmata ejus ac præstigias publicavit. Nam homines illi, quos ad sibi credendum diabolica circumventionem turbaverat, nunquam ad sensum integrum sunt regressi, sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem deitatis habere profitebantur. Sed et per totos Gallias emergerunt plerique, qui per has præstigias adjunctes sibi muliereculas quasdam, quæ debacchantes sanctos eos confiterentur; magnos se in populis præferebant: ex quibus nos plerosque vidimus, quos objurantes revocare ab errore nisi sumus. » Hucusque Greg. Tur.

Audiamus etiam unum e miraculis pseudo-

IV. PARS FESTIVALIS.

prophetarum (nam plura alibi vidimus) ex eodem Greg. Tur. de glor. conf. c. XII. XIII. « An. 583. cernens Levigildus rex Arianus in Hispaniis, tanta miracula per servos Dei qui nostræ religionis erant, fieri, vocavit unum episcoporum suorum, dixitque secretius ad eum: Quamobrem vos ut isti, qui Christianos dicunt non ostenditis signa in populos secundum fidem vestram. Dicit ei episcopus: Sæpius ego cæcis lumen reddidi, et surdis auditum; nunc autem hæc possum facere quæ dicis. Et vocato ad se uno de hæreticis, clanculo ait ad eum: Accipe quadraginta aureos, et clausis oculis reside in loco, unde nobis est transitus: et prætereunte me rege, exclama in virtute, ut perditum lumen meo tibi credulitate restituam. Cumque hic accepta pecunia fecisset quod sibi fuerat imperatum, procedit novus Cyrola ad dexteram constipatus hæreticorum caterva. Exclamat et iste cæcatus pecunia, ut fide episcopi reciperet oculos suos. At iste cum non minima arrogantia imponens manus super oculos ejus ait: Secundum fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente ita obserati sunt oculi hominis cum dolore, ut non solum visum perderet, verum etiam dolum, quem avaritia impellente finxerat, publicaret. » Hactenus Gregorius, qui idcirco episcopum hunc, cujus non refert nomen, novum appellat Cyrolam, quod ejusdem nominis episcopus istiusmodi facinus tempore Wandalico in Africa perpetrasset. Plures hujusmodi imposturas hæreticorum utilius Cyrolæ, Calvini, Lutheri pseudomiracula alibi notavimus. Quisquis ergo veritatem amat oditque mendacium, detestetur impostores istos: vera Ecclesiæ miracula attendat, a tot viris sanctis omnique fide dignis conscripta, tot testimoniis comprobata, et vel usque hodie ante multorum oculos fieri consueta.

IV. Discimus, quid agendum nobis sit, cum novi exurgunt prophetae, nova afferentes et persuadere volentes dogmata: *Tunc enim si quis vobis dixerit, inquit Dominus: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et patet usque in occidentem: ita erit ei adventus Filii hominis.* Quibus verbis docet Dominus non solum signum et manifestationem adventus sui ad judicium, verum etiam signum et manifestationem Ecclesiæ veræ, sponsæ suæ; quæ hinc agnosci queat, quod non in deserto seu pauculis fidelibus, una et altera natione vel lingua dumtaxat, nec in penetralibus, hoc est, in angulis obscuris et occultis hæreticorum conventiculis quaerenda sed in toto passim orbe visenda, omni-

bus nationibus : conspicua sit futura, quomodo fulgur includi vel excludi se non patitur, sed illuminat totam terram et penetrat etiam per fenestras ac rimas domorum. Quisquis ergo in ea Ecclesia se constitutum videt, quæ per universum orbem micat, vel certe micuit, tametsi hodie forte in quorundam terris exulet : ibi hæreat, ibi pedem figat; neque ad solitudines et penetralia hæreticorum exeat. Quia in re perelegans Ecclesiæ typus fuit domus Rahab, Jos. II. quæ quia legatos Hebræorum abdidit et incolumes dimisit, privilegia immunitatis donata est ab Hebræis, ita ut vastata urbe Jericho, sola illa domus, et qui in ea habitarent incolumes manerent. Etenim primo Rahab latitudinem significat, et Ecclesiæ velut fulguris diffusionem in omnes terras notat : *Quæ est ergo latitudo, inquit eo loco Origenes, nisi Ecclesia hæc Christi quæ Isa. XLIX. (XX.) dicit : Augustus est mihi locus; fac spatium ut habitem.* Secundo, Rahab legatos Hebræorum exceptos domi suæ magno studio tutata ab hostium manibus, sub lino textit et ad domus suæ superiora evocavit; ita : *Ecclesia quos suscepit, inquit Origenes, hom. III. in editis et excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui ab Jesu mittitur, invenitur deorsum et humi jacens, sed in superioribus permanet?* Quia videlicet Ecclesia suos ad cœlestia desideranda et quærenda instruit et hortatur, necnon ad sublimem et spiritualem vivendi rationem vitæque perfectionem, in qua tamen eos lino humilitatis contegit, atque inobedientia et humilitate continet. Aliæ sectæ superbiam et presumptionem, catholica demissionem et timorem docet inculcatque suis, velut in sacramentorum susceptione, in disciplina christiana, legibus et censuris. Tertio, periclitantes Hebræos demisit per fenestram et montana conscendere jussit; ita Ecclesia a Christo in hodie. evang. edocta, instante hæreticorum persecutione et seductione jubet suos fugere ad montes, hoc est, ad ss. patres eorumque Concilia; jubet consulere viros sanctissimos, qui ab apostolorum tempore usque ad nos vixerunt, scripserunt, Ecclesiam defenderunt; jubet inspicere eorum vitam, mores, ritus, sanctitatem, auctoritatem, libros; edocebimur et firmabimur in fide nostra catholica. Non vult adiri colliculos, Lutherum, Calvinum, Bezam, Oecolampadium, Zwinglium aliosque novatores, in quibus nihil præsidii est, sed Ecclesiæ doctores aliosque ss. patres. Quarto, Rahab in suæ suorumque salutis symbolum accepit funem et coccineum, de fenestra dependentem, Ecclesia quoque Christi symbolum fronti inscriptum, signum s. crucis habet : *Coccineus in-*

quam funiculus, ait Rupertus, sanguineum est crucis signaculum, jugiter pingendum in fronte. Quinto, quisquis e domo Rahab exivisset in gladium Hebræorum incurrisset, quia extra eam nulli salus erat; ita extra Ecclesiam Christi nemo salvabitur : *Qui ostium domus tuæ, inquit Rupertus in eum locum, egressus fuerit, quicumque seipsum ab unitate fidei præciderit, hæresesque ac schismata fecerit, sanguis ipsius erit in caput ejus; unde monuit Dominus in hodie. ev. Nolite exire, nolite credere.* Refert Herodotus, l. I. solitas quondam urbes integras, eorum, quos colerent deorum sanis sese funibus alligare. Hæc in modum alligemus nosmetipsos fune inconcessæ fidei ad Ecclesiam catholicam et immobilem Petri rupem : nemo nos inde abripiat.

V. Discimus quorsum nobis fugiendum sit tempore afflictionis, ad vulnera scilicet et passionem Christi meditandam. Id enim insinuat Dominus verbis illis : *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, ut exponunt Origenes, trac. XXX. in Matth. S. Hieronymus in eap. XXIV. Matthæi; siquidem corpus ibi significat cadaver, uti vox Græca ostendit.* Unde Hieronymus : « Possumus corpus (quod significantius Latine significat cadaver, ab eo quod per mortem cadat) passionem Christi intelligere, ad quam provocamur, ut ubicumque in Scripturis legitur, congregemur, et per illam venire possimus ad verbum Dei. Si ergo irrationales volucres naturali sensu tantis terrarum spatii et maris fluctibus separata, parvum cadaver sentiunt ubi jaceat : quanto magis nos et omnis multitudo credentium debet festinare ad eum, cujus fulgur exit ab oriente et paret usque ad occidentem? » Quoties ergo anima nostra spirituali inedia contabescit, quoties interno solatio destituitur, quoties afflictione debilitatur aut tentatione premitur, ad corpus crucifixi advolet per ejus meditariam invocationem, ubique robur inveniet et refugium : unde S. Petrus, ep. I. c. IV. ait : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, q. d. in crucifixo invenietis omnis generis armaturam.* Attestantur hoc ipsum ss. patres. S. Bernardus, ser. LXII. in Cant. « Quid tam efficax, ait, ad curanda conscientia vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? » S. Bonavent. coll. VII. « Qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia atilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit, nec opus est ut extra Jesum aliquid quærat. » S. Aug. in manuali, c. XXII. « Cum me pulsas, inquit, aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi : cum me

premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo : cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei et recedit a me : si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur : in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi : in illis dormio securus et requiesco intrepidus. » Illuc quoque aliæ multæ generosæ aquilæ sese contulerunt e femineo sexu. Maria Magdalena imprimis, omnium antesignana, quæ mortuo etiam Domino indivisibiliter adhæsit : *Cumque eo sepulto sepelivit pariter spiritum suum, ait Origenes, de S. Magd. S. Clara, quæ inter horam diei sextam et nonam, qua obiit Dominus, majori compunctione afficiebatur, et corda tredecim nodorum carnem constringebat, ut in vita ejus, c. XX. S. Coleta, quæ in feriis sextis passionem meditando videbatur sibi præ doloris vehementia, in manibus, pedibus et latere quasi clavis et lancea configi, apud Sur. tom. II. quibus accedit S. Birgitta, Gertrudis, Mechtildis, etc. Hujusmodi etiam aquilæ sunt, ad corpus Christi Domini in s. eucharistia, mortem ipsius representante, constitutum advolant, ibique nobili illo pabulo animas suas impingunt ac confortant. Ubi tamen advertendum, aquilas esse debere, non corvos, qui corpore illo saginari volunt; angelis similes, non demonibus.*

VI. Ad extremum discimus secundum Christi adventum multum discrepare a primo. Primus, a Davide, Ps. LXXI. comparatur pluvia : *Descendet sicut pluvia in vellus* : secundus, comparatur fulguri ab ipso Domino in hodierno evangelio : in primo descendit Deus occulte, sicut pluvia descendit in vellus, sensim et absque strepitu : in secundo descendet manifeste, sicut fulgur quod suo splendore complet totum hemisphaerium. Causam assignat auctor imperfecti, hom. XLIX. « In primo, inquit, adventu ideo Dominus venit corpore, ut probaret fideles : in secundo autem venit manifestus in gloria, ut remuneret fidem illorum. Ideo tunc necessarium erat, ut quæreretur : nunc autem, id est, in secundo adventu non est quærendus ut credatur, sed quærit ipse a quibus creditus sit. » In primo descendit usque ad terram, quemadmodum et pluvia : in secundo descendet usque ad infimam aeris regionem, quemadmodum et fulgur : ibique sedens judicabit. Ratio, quia in primo venit in forma servi ut omnibus ministraret : in secundo venit in forma judicis, qui in sublimi sedens, omnibus esse conspicuus debet. In primo per aliquot annos commoratus est in terris : in secundo vero

brevissimam moram faciet, et quasi in momento omnia expediet : quo modo et fulgur momentaneum est, cum vicissim pluvia duret aliquando tempore. Ratio, quia in primo venit ut instrueret et perficeret mentes hominum, quod aliquo temporis spatio fieri debuit : in secundo venit, ut revelet animos hominum, quod citissime fieri potest. In primo venit placidus, et absque ullo terrore ad placandum nobis Deum ; quemadmodum et pluvia non modo non adfert terrorem, sed potius annuntiat tempestatis mitigationem : in secundo venit tremendus, quemadmodum et fulgur communiter et post se trahit horisonum aliquod tonitru, et quandoque simul fulmen. De primo scriptum legimus : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, Matth. XXI. de secundo legimus : Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus : illuxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, etc. Psal. XCVI. De primo scripsit Isaias, c. XLII. Calamum quassatum non conteret, et lino fumigans non extinguet, hoc est, nemini molestus, onerosus aut damnosus erit; at de secundo scripsit idem, c. XLIII. Ecce dies Domini venit crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendum terram in solitudinem et peccatores ejus conterendos, etc. In primo enim venit humilis velut judicandus, in secundo venit gloriosus velut judicaturus.*

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quid est abominatio desolationis? — II. Quid illa verba : *Qui in tecto est, etc?* — III. Cur fuga non in hieme vel sabbato, etc? — IV. Quænam illa tribulatio omnium maxima? — V. Quinam illi pseudo-propheta et pseudochristi? — VI. Quid similitudo fulguris, quid cadaver? — VII. Quomodo sol et luna obscurabuntur et stellæ cadent? — VIII. Ad quid illa obscuratio fiet?

THEMA.

Qui legit, intelligat. Matth. XXIV.

Admodum necessarium et maximi momenti est hoc Salvatoris monitum, vaticinio Daniëlis annexum : *Qui legit, intelligat.* Cum enim vaticinia prophetarum, uti et ea quæ in hodierno evangelio vaticinatur Dominus partim de excidio orbis, necnon alia pleraque in Scripturis ss. abstrusa et recondita sint, sani et perspicaces requiruntur oculi ad ea discernenda atque